

JESUS!

* * *

DISSERTATIUNCULA

De

ADULATIONE,

Quâ

ad audiendas

cras, annuente DEO,

finitis Precibus publicis,

ORATIUNCULAS TRES LATINAS, VARIAQVE DIVERSO GENERE ATQ. IDIOMATE CARMINA VOTIVA,

eaq;

ILLUSTRISSIMI atqve CELSISSIMI

COMITIS ac DOMINI,

DN. ALBERTI ANTONII,

S. R. IMP. QVATUOR-VIRI, Comitis

Schvvarzburgi & Hohnsteinii, Dynastae Arnstadii, Sondershusae, *L*eutenbergae, Lohrae & Clettenbergae,

COMITIS ac DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

EXOPTATISSIMO NATALI XLIX.

HUMILLIME SACRATA,

Omneis ac singulos DOCTOS RUDOLFOPOLITANOS

Cum Dn. RECTORE

O. atqve O.

invitat

JO. FRIDERICUS HEKELIUS.

RUDOLFOPOLI,

Litteris JO. RUDOLFI LEONIS.



JESUS!



QVando communis Virtutum Vitiorumqve Cenfor ille, *Cicero*, ADULATIONEM, qvam *Hippolytus à Collibus*, Vir excellenter fagax & verè politus, VITIORUM ALTRICEM, & venerabilis *Beda* PECCATI NUTRICEM haud iniqvè nuncupant, inter alia eft deteftaturus, tunc nullam Peftem, ASSENTATIONE, BLANDITIIS atqve ADULATIONE (addam) in *qvolibet Statu* majorem effe dicit. Haec enim, loqvente *Hieronymô*, non folùm Menteîs noftras facillimè corrumpere, fed & qvemlibet, qvi aureîs inprimis praebet ADULANTIBUS, in qvamvis Peccatorum ac Scelerum Charybdim fimiliter poteft proh! praecipitare. Ideoqve & *Augustino*, veteris Ecclefiae Praefulum haud imo, *fallaci Laude Seductio* aptiffimè vocatur. Nam qvando apertis & propriis auribus recipitur, (ftatim) in Praecordia noftra ima defcendit, & venit ad nos, eruditiffimô atqve prudentiffimô *Senecâ* tefte, pro *Amicô* blandus femper *Inimicus*. Et ut qvôvis tempore *Veritatem* perfeqvuntur *Inimicitiae*: ita per ADULATIONEM, affirmante de novô *Hieronymô*, vehementer perniciofae comparantur *Amicitiae*. Qvam ADULATIONEM, Peftem qvippe funeftam ac planè deteftabilem, *Janus Henricus Scroeterus*, GuSTROVIENSIS MEGAPOLITANUS, Eqves & Poëta Caefareus feliciffimus, Vir, *Georgiô Erneftô Wagnerô* optimè judicante, ter-optimus ac Pietate infignis, accuratè & ad vivum qvafi *Dresdae* olim, Aô. nempe fuperioris Seculi XCIV, difcedens depinxit penicillô hôcce metricô:

Ergône, qvod fas eft, rectumq́, DIISq́, probatur,
Terrigenisq́, piis, fas fit mihi, dicere verum,
Et vitium damnare, ferô qvod pondere fternit
Optima, & immergit ftupidas in funere Genteîs?

5. Foedus

Fœdus ADULATOR, cui circum plurima mentem
Versatur dubiis Simulatio tecta latebris,
Multum equidem tristis damni, multumq́; ruinae
Teter alens, qvando Furiis agitatus & Irâ,
Invidiaeq́; ferâ rabie commotus, amico
Decipit ore Bonos, simulansq́; ingentia fallit,
Et malè consutum melioris crimen inurit,
Hoc infelici nostro nunc regnat in Orbe,
Conaturq́; animos & corda imprevida Regum
Blanditiis caecare suis, ac omne suävi
Sternere voce Bonum, scelerisq́; obtendere larvam,
Ne scelus esse putes, supero qvod forsitan Orbi
Displicet, ac foedus in opertum miserit Arteîs;
Unica materies, magnum qvâ fervidus Orbem
Flagitii Pater & rebus ferus Osor honestis
Obruat, ac parto statuat sua culmina Regno.
Multa qvidem perdit Belli Deus. Objicit atrae
Corpora multa Neci, morbis dum saevit acutis
Phoebus, & eximias grassatur Pestis in Urbeîs.
Multa etiam Bacchus sternit; sunt plurima, Ponto
Quae submersa jacent, levibusq́; agitantur arenis.
Deniq; multiplices immittit Gentibus iras
Nonnunqvam Deus, & variô premit alta dolore.
Sed damni nihil ista qvidem dat turba, molesto
Si SIMULATORI liceat conferre, qvòd omnem
Vicerit hic Pestem, & superet feritate venena.
Tum verò si qvis Stygii fera Regna Tyranni,
Eumenidumq́; faces & Averni guttura pingat;
Haud alia tantas comprendat imagine clades,
Qvam SIMULATORIS si foedos lumine mores
Exprimat, ac verô referat fera facta colore.
Nam Phlegetontaeos odiis immanibus Angveîs
Et Furias ardere ferunt, ut Secula diris
Fluctibus involvant, & perdere maxima possint;
Intereà tranqvilla tamen ceu fingere; miros

In-

Induere obsequio vultûs & plaudere factis,
Haud secus Ardelio *& SIMULATOR foedus in omneis*
Fingit adulandi *numeros sua Pectora, solus*
Qui, quod adhuc rectum poterat Mens cernere, frangit.
Haec est illa bonis contraria moribus Hydra,
Lernaeô *generata lacu, quam Dextra potentis*
Alcidae *toties fertur misisse sub Orcum,*
Et resides secuisse jubas, Lethoq; dedisse:
Tot nova colla tumet; tot pullulat ora colubris;
Tot recipit vultûs veterumq; in sede reponit,
Coelesti donec fultus virtute ferocem
Stravit, & aeterno conclusit lumina somno.
An non decipulam, quâ prendi maxima possint,
Esse putes, in quam, si quis vitare volebat,
Nî vitet, subitâ lapsum se fraude queretur?
Suave Malum, dulcisq; Lues, ubi Mortis acerbae
Funera, quàm Morbum priùs experiare, necesse est;
Ancora flagitiis tutissima; Regibus alta
Pernicies, quâ Summa labant, Rectumq; fatiscit,
Et mala pro meritis cumulatur gratia rebus.
Nam qui assentari *didicit, struit omnibus unum*
Exitium Primi pereunt, quos esse decebat
Illaesos, Fatôq; auctos meliore potiri;
Sternuntur passim reliqui, pelluntur, aguntur,
Ac indignantes horrescunt Principis iras.
Hoc nostris (dolor hei! dolor ima perambulat ossa,
Cùm tantas refero clades, cùm tanta pericla
Commemoro) commune Malum grassatur in oris,
Infaustis avibus dominans, certissimus Orbis
Jamjam lapsuri interitus, certissima Pestis,
Oppressura Bonos, veniamq; datura Malignis.
Ast ut ADULATOR peragat sua commoda, fictis
Laudibus accendit magnorum pectora Regum;
Factaq; miratur, quamvis deterrima; molle
Sermones oleum simulant, sed spicula blanda

Sub

Sub feritate tegunt, jaculisq; onerantur acutis.
Quin etiam sese Multorum ad vota dolosè
Commodat, ac dictis subscribit inanibus; Alba
Nigrat, & è Nigris producit blandulus Alba.
Si laudas, laudat: properas si, cursibus instat:
Lentius incedas, testudine tardius ibit:
Quod si Bella probes, Lituosq; & Classica fingit;
Si studeas Paci, jam sunt venabula Damno:
Vicisti Lepores, memorat stravisse Leones.
Si cadis, actutum subversô corpore langvet;
Clisopho similis, qui, cùm de crure Philippus
Fortè laborabat, claudum se finxit; & ipse
Cùm Charisophus Dominum ridere videbat,
Risit, & hoc turpi est venatus acumine laudem.
Demq; qvicqvid agis, seu damnas Vera, probas seu
Falsa, tuis semper PARASITUS blandulus actis
Militat, ac placitis subtundit pectora Dictis.
Scilicèt ut tantâ, sed fictâ, laude superbum
Efficiat tete, facileq; ad qvaevis iniqva
Coepta trahat caecum, qvò tutiùs ipse nefandam
Intereà sceleris metam pertingat, amaris
Omnia blanditiis complens, melle omnia amarô,
Inq; recurvatos distringens spicula flexûs.
Haec Mens, hic Animus PARASITI; haec unica Cura;
Hoc unum & primum Studium est; haec una Voluptas,
Hoc operae Pretium. Sed cùm satis intulit Auri,
Detrusitq; loco, quibus invidet; altera mox hunc,
Ne sua flagitiis justissima praemia desint,
In nova producit meritum ludibria cornix.
Ergò alios qvi dente prius fortassis acerbô
Strinxit, & occulte cumulavit vulnera morsu,
Inversae tandem Sortis Mala multa vicissim
Sentit, & iratô meritas dat Numine poenas,
Existitq; alius, qui multò tetrius ipsum
Pingat, & in cumulum Majora Prioribus addat.

Heic varias pridem in formas, ceu Prothea, *sese,*
Dum noceant, vertisse Malos, nil proderit; arte
Luditur Ars, capiturq; suâ Vulpecula nervô.
Heic toties illos tenuem simulâsse Cupressum,
Aut Domini vafro placuisse ad jussa Cerebro,
Nil juvat invisos; nihil heic inservit honori,
Aut cessisse viis, aut magno aequâsse Tonanti
Progeniem; aut primis duxisse è Gentibus ortum.
Qvin genus invisum Coelis, odiosaq; Terris
Turba, cui nihil est pretii, qvàm fallere Recti
Circuitu, aut falsô deludere Seria vultu,
Pernicies extrema Bonis, extrema ruina,
Subdita seu primis pares, seu prima gubernas;
Qvin mutare animum tibi fas sit, & addere mentem
Virtuti? Fortasse etiam tibi littus aratur:
Neqvitiis siqvidem non longa Potentia durat;
Nec solidos jactant haec crimina foeda Triumfos.
Est vindex scelerum DEUS *& gravis ultio, cujus*
Saevit in invisos Nemesis *justissima Porcos;*
Poenaq; quantumvis paulisper cesset, eamq;
Rideat interdum sceleratis Miles Averni;
Gressibus illa tamen, tardis licèt, advolat, & se,
Qvod lentè properat, cumulatis cladibus auget.
Qvin ipsos toties videas qvoqve tristia lingvae
Pendere damna Malos, ut quô scelus ore patrârint,
Hoc tormenta luant, & fera piacula solvant.
Qvisqvis *at* assvevit constanti pectore & ore
Recta seqvi; qvamvis *Fortunâ* paulò prematur;
Egregiè tandem vincet tamen. Asserit omnem
Virtutem *DEUS*, & meritae dat praemia laudi.


Haec sunt doctissima doctissimi *Scroeteri* de ADULATIONE atqve ADULATORIBUS verba, omninò digna, ut à qvôvis Mortalium probè expendantur, qvoniam ADULATIO, qvae annos plureis ex *Jani Gruteri* sententiâ neqvaqvam pot-

est

est ferre, exitûs affert plerumqve amarissimos; etiamsi, ut loqvitur noster *Cicero*, jucunda & grata habeat principia. Idcirco ADULATIO, qvae saltem blanda & ad gratiam composita; minimè verò ex animô proficiscens audit Oratio, *Diogeni* Philosopho MELLEUS LAQVEUS hâc de causâ propriissimè nuncupatur, qvoniam hominem blandissimè amplectens iniqvè tandem jugulet. Et qvemadmodùm, *Plutarchô Chaeronensi* fideliter svadente, Adolescentes ab ASSENTATORIBUS atqve ADULATORIBUS, Patres qvippe & Filios radicitùs exstirpantibus, maximè arcere oportet: Sic Reges inprimis ac omnium Ordinum Principes atqve Magnates ADULATORES, qvòd omnia Regna omneisqve Opes evertere solent, ad Orcum usqve relegent. Hos nullius furfuris Homunciones comparat idem *Plutarchus* lepidissimè cum *PEDICULIS*, à *Daniele Heinsiô*, illustrium BATAVORUM *Varrone*, olim ingeniosè ac curiosè aliàs laudatis. *Ut* enim Animalcula haecce corpora exanima, utpote sangvine, qvô nuper alti atqve enutriti, defecta, deserunt: ita ADULATORES rebus prosperis ac feracibus adsunt omni tempore; aridas autem ac sterileis vix sunt attacturi. O pessimum itaqve atqve ingratissimum Homunculorum rapacissimorum Genus! O Mater longè pejor tam spurcâ ac devovendâ Sobole! O qvàm rectè dixisti, ô *Cynice Diogenes*! qvi licèt à *Cane*, hoc est, ab ipsâ ADULATIONE, agnomen geras; tamen ab omni ADULATIONE atqve ASSENTATIONE multis adhuc videris prorsus alienus. Sed qvaenam, qvaeso, verba tua fuêre? Nonne dixisti optimè: Κρεῖττον εἶναι ἐς Κόρακας ἀπελθεῖν, ἢ ἐς ΚΟΛΑΚΑΣ, hoc est, *Melius esse ad* Corvos *redigi*, *qvàm* ADULATORIBUS *exponi*. *Illi* enim *Demosthene* appositè explicante, Morticina modò ac Mortuos consectantur; Hi verò Vivos, Bonos, Probosqve laniatu suô pestiferô excarnificare proh dolor! non desinunt. *Utinam magnus ille* JUPITER (ingemiscit haud vanè *Erasmus Roterodamus*) *universum hoc Hominum Genus recudat & refingat, qvi qvùm nihil afferant, qvò vel meliores reddamur, vel eruditiores; facessunt*

sunt tamen omnibus (ac singulis) negotium. Et taleis ADULATORES non solùm, sed & ipsam ADULATIONEM cras, volente DEO, prolixiùs vituperabit *ERDMANNUS CYPRIANUS, Pol-Ilmensis Thuringus;* CANDOREM autem, ceu Virtutem nobilem, plenis, ut dicitur, buccis laudabit *JO. VOLKMAR GRAU*, unus è *Nostratibus*. Et qvoniam *ILLUSTRISSIMUS* atqve *CELSISSIMUS* COMES ac DOMINUS, DN. ALBERTUS ANTONIUS, *S. R. IMP. QVATUOR VIR*, COMES SCHWARZBURGI ET HOHNSTEINII, HEROS candidissimo CANDORI excellenter deditus, *COMES ac DOMINUS NOSTER CLEMENTISSIMUS*, dulcissimum NATALEM suum XLIX. hesternâ luce ritè celebravit, ILLUSTRISSIMAM *EJUS* CELSITUDINEM hi duo jam denominati Adolescentes cum *VITO HEINRICO BIEDERMANNO*, *Leutenberg. Schwarzburgicô*, eôqve in *specie* ORATIUNCULAM GRATULATORIAM, juxta *Ger. Joann. Vossii* Partit. Orator. Lib. II. Cap. XIX §. 10. 11. atqve 12. virili pro parte formatam, submissè habiturô, *Ebraeô*, *Graecô* atq; *Latinis* Votis suis devotis, *metricis* inprimis, humillimè excipient, modôqve orabunt simili, ut DIES HICCE omnibus Nobis incredibiliter gratus atqve acceptus ex votô saepius redeat. Adeste itaqve, *VOS RUDOLSTADIENSES* illi, qvi Nomina Vestra nobilia, clara atqve amabilia sacratissimo sacrae EUSEBIES, incorruptae DICES, salubris HYGIEAE atqve ipsius PANSOPHIAE Vexillo devotè consecrâstis, calidasqve preces ac lacrymas pro perennaturâ EXOPTATISSIMI PATRIAE NOSTRI PATRIS Incolumitate freqventioreqve DIEI ANNALIS Recursu Nobiscum totô corde fundite, immò audite benivolè tres hosce AUDITORES Nostros industrios, & propterea omni gratiâ, favore atqve amore dignissimos. Publicat. *Rudolstadii* ☉. d. III *Martii* A. MESS. M. DC. LXXXIX.

* * *


ALLEGRI
LABORAT.
RESTAURO
LIBRI
PARMA